

Ann. II.

Num. II.



# VOX URBIS

## DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium subnotationis annuae, *praesolvendum*, in Italia est Libel. 10;  
ubique extra Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis  
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, VOCIS URBIS possessorem et administratorem

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

### Subnotatio fieri potest:

#### IN ITALIA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. Apud BURNS AND OATES  
ROMAE, Via Santa Chiara, 20-21. LONDON W. - 28, Orchard Street.

#### IN ANGLIA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. LIBRAIRIE VIC ET AMAT  
LONDON W. - 28, Orchard Street.

#### IN STATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENT.

Apud COMMISSARIAT OF THE HOLY LAND.  
NEW YORK, 143 w 95th St.

#### IN BELGICA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. BRUXELLES, Rue de la Montagne, 52.  
ET NEWFOUNDLAND NEW YORK (U. S. Amer.), 143 w 95th St.

#### IN CANADA

NEW YORK (U. S. Amer.), 143 w 95th St.

#### IN GALLIA

LUGDUNI  
Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. LUTETIAE PARISIORUM  
Rue Victor Hugo, 5 LIBRAIRIE VIC ET AMAT  
CHARLES AMAT SUCC.  
Rue Cassette, II. INSULIS (LILLE)  
Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.  
Rue de Metz, 41.

### RERUM INDEX

|  |                |
|--|----------------|
| DE PROBABI FOEDERE INTER ANGLIAM ET AMERICAE SEPTENTRIONALIS CIVITATES . . . . .                       | A. Zama.       |
| DE ETHNICORUM SCRIPTIS IN ADOLESCENTUM INSTITUTIONE RETINENDIS . . . . .                               | F. Tedeschini. |
| MINUCIANA . . . . .  | F. Ramorino.   |
| EX BOSPHORI LITORIBUS . . . . .  | B.             |
| TENUI VICTU CONTENTUS, INGLUVIEM FUGE. — Ad Fabricium Rufum.<br>Epistola . . . . .                     | LEO XIII.      |
| DE MOSCOVIAE IMPERATORIS CONSILIO CIRCA PACEM . . . . .  | Monteluccius.  |
| DE MONUMENTO SEPULCRO ROMULI ATTRIBUTO ET IN EFFOSIIS<br>NIBUS FORI ROMANI NUPERRIME INVENTO . . . . . | H. Marucchi.   |
| ANTHEA ( <i>Eamus ad Ipsum</i> ) . . . . .   | P. Angelini.   |
| ANTONIUS FOGAZZARO . . . . .   | Hersilus.      |
| QUAEDAM DE INSTAURANDA SACRORUM DIERUM OBSERVANTIA . . . . .   | Laelius.       |
| DE LAOCOONTIS STATUA . . . . .   | I. Cascioli.   |
| ANNALES . . . . .  | Egnatius.      |
| ACTA SANCTAE SEDIS . . . . .   | Thomas.        |
| AENIGMATA . . . . .  | X.             |

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCII

M DCCC XCIX

## \* VARIA \*

### De initio proximi saeculi.

Ubique solemnia indicuntur in proximum annum, veluti primus sit proximi saeculi. Lepidus error! Si saeculum centum constat annis, absolvatur necesse est post centenos annos, minime vero post nonaginta novem. At res non videtur numeris tantum definienda, sed ab initio repetenda. Norunt omnes christianam aevi computandi rationem a Dionysio monacho ante mille trecentos annos et amplius inventam ab *Incarnatione seu Nativitate Domini* originem ducere. Quae duo quamvis novem mensium spatio inter se distent, tamen aeo christiano « annos numerare mos est ut initium fiat vel ab VIII kal. aprilis vel a prioribus kalendas ianuarii anni periodi iuliani 4714 » (1) qui est 754 ab Urbe condita. Quum itaque hic annus sit 2652 ab U. C., ratiocinando, inferimus a Christo nato 1898 defluxisse.

Si tempus erit, amplificare quaestionem libebit: interim solemnia ad kalendas ianuarias anni 1901 remittantur.

\*

### Choreae Waterlonienses.

Nuper Londini Lady Carrew, olim Ioanna Caiffe, natalium sibi diem celebravit centum annis et uno nata. Spectabile aetate nomen et genere, sed eo nomen celebrius quia matrona haec ultima et unica superest ex iis, qui solemni bus choreis apud dynastam de Richmond in urbe Bruxellis ea nocte habitis, qua ad Waterloo pugnatum est, interfuerunt. Narrat adhuc annosa patricia, quae tunc temporis duo de vicesimum agebat annum, repente vidisse anglicos centu-

(1) PATRIZI, *De Evang.* lib. III, diss. XIX, n. 24.

riones et duces et ipsum Wellington accingentes gladium, et discedere iutros eo, quo reboans pyrobalistarum tonitru advocabat.

Extinctis funeralibus, dynasta de Richmond septa suis stetit usque ad ortum solis illius, qui Napoleonico imperio supremus illuxit.

\*

### Moschorum Caesar ad certamen provocans.

Nicolaus II musicæ artis amantissimus est, colitque cantum assiduus, acuta voce præclarus.

Nuper in imperatorio rure Livadiensi quum musicæ daretur opera ante meridiem, circa finem cantionum et sonus, Caesar ad mensulam chordisonam accedens duos cecinit musicæ tractus, qui unanimi audientium plausu excepti ac celebrati sunt.

Tunc caesareus vir, laetus re, inquit assurgens: Qui meum aversantur imperium male de me locuti, negant aliquid boni inesse mihi; sibi optima omnia vindicantes. At vos, o carissimi, dicite iis, saltem esse artem, qua longe antecellam. Lacesco quotquot sunt, et voco ad certamen, quo manifestum sit utrum ipsi an ego scientius ac suavius modulemur.

Ephemeris *Journal des Débats* ista narravit.

\*

### Praehistorica urbs.

Saville archaeologus, genere Gallus, in Mexicana regione ruinas quasdam invenit, quas putat esse rudera Zachilæ.

Ibi templa, amphitheatra, palatia, et aliquid late et eleganter molitus ad instar acropolis.

Quae inde fluunt argumenta illud probare

videntur quod plerique tenent, *cuprum genus hominum principio habuisse Aegyptum et Graeciam.*

Pulcre!, bene!, recte!, inquam; nisi potius Aegyptus et Graecia regiones illas occuparunt suis, populoque et artibus moribusque ditavent!... Nonne faciliora haec navigantibus?...

\*

### Ad exemplar signorum in Pantheon.

Salomon Reinach, illustris vir in archaeologicis disciplinis, académie Parisiensi, cui ab Inscriptionibus nomen est, nunciavit se in Carthaginensi marmore anaglyptice sculpto cognovisse imagines trium simulacrorum insignium, quae Romæ, in templo Martis Ultoris, Martem ipsum, Venerem et Octavianum Augustum refeabant.

\*

### Statura humanae proceritas.

Humanum genus decrevisse ac decrescere, arguentibus tot contra testibus, poteritne denegari? Plerique tamen ita censem, his adducti argumentis. In illo anthropologiae Athenaeo ad Musaeum Broca studiis laboribusque satagentibus haec apparent.

Quaternarium, quod vocant, aevum habuit viros proceros m. 1.62, mulieres m. 1.50.

Parisienses aevi-medii (osseis formis esto fides) hanc altiores hodiernis erant.

Medium proceritatis humanae diebus nostris habetur in viris m. 1.65, in mulieribus m. 1.54.

Crescimus igitur, et bono alite crescimus; atque utinam validiores, ac meliores corpore, mente, moribus crescamus, et augeamur!..

## LIBRI ET COMMENTARII DONO ACCEPTI

*Le laudi latine e il Cantico del Sole di san Francesco d'Assisi.* S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tipografia della Porziuncula, 1897.

Hunc libellum, tibi, candide lector, magnopere commendamus. Praeter venustam præfatiunculam a Paulo Sabatier viro rei longe peritissimo conscriptam, eo continentur *laudes latinae cum interpretatione italica, Canticum Solis*, necnon illa *Speculi perfectionis* capita, quae cantici originem exponunt, alia que nonnulla, quae si attente legeris, magnos profecto ex eis et gaudi et pietatis percipies fructus. Libellus, ad quem proxime alii subsequentur ad parvam bibliothecam franciscanam comparandam, quemque *Iulus Salvadori*, litteris tradendis doctor egregius, maxima edidit cura. Romæ apud *Vocis Urbis* administrationem venit L. 0.50, in pauperum levamen.

*Compendium Theologie dogmaticae fundamentalis seu generalis* P. ALBERTI KNOLL a ROBERTO MENINI Archiep. C. O. exaratum. Buda-Pest, typis C. Müller, 1898.

*Compendium Hermeneuticae sacrae, seu introductio in libros sacros veteris et novi foederis nec non regulæ exegitiae* I. H. IANSSENS a ROBERTO MENINI exaratum. Buda-Pest, typis C. Müller, 1898.

LUIGI GRILLI, *Versioni poetiche dai lirici latini de' secoli XV e XVI*, con prefazione di CIRO TRABALZA. Città di Castello, editore Lapi, 1898.

*Esercizi di poesia latina ed italiana*, fatti dagli alunni della scuola arcivescovile di Monreale, sotto la direzione di Mons. MAURIZIO POLIZZI. Palermo, Scuola tipografica del boccone del povero, 1897.

HYACINTUS DE VECCHI-PIERALICE, *Poema de regio Urbis lyceo-gymnasio, cui nomen « Torquato Tasso »*. Romæ, 1898.

LIONEL HORTON-SMITH, *Two papers on the oscan word Anasaket*. London, 1897.

— *Ars tragica Sophoclea cum Shaksperiana comparata*. Cambridge, Macmillan and Bowes, 1896.

De hoc magni ponderis et momenti volumine ad proximos numeros fusius.

ERN. DUBOIS, *De exemplarismo divino seu doctrina de trino ordine exemplari et de trino rerum omnium ordine exemplato*. Romæ, 1897.

F. LAUDOWICZ, *De doctrinis ad animarum praexistentiam atque metempychosin spectantibus et quaestiones*. Lipsiae, 1898.

PETRUS ANGELINI, *De poetis et numeris latinis*. Romæ, ex officina Sociali, 1899. Venit L. 0.50 apud officinam Forzani et Soc.

*Rivista politica e letteraria*. Anno VI, fasc. I.

*Bessarione*, pubblicazione periodica di studi orientali, nn. 25, 26, 27, 28.

*Giornale Arcadico*. Anno I, nn. 11, 12; Anno II, n. 1.

*La Ricerca*. Anno VIII, n. 1.

*La Vita Nova*. Anno III, vol. III, fasc. I.

*L'Étranger*. Anno IV, n. 12.

*Il Marzocco*, periodico settimanale di letteratura ed arte. Anno III, n. 49.

*La Scuola secondaria italiana*. Anno III, n. 14.

*L'Ombrone*. Grosseto, 1899.

*Il Mattino*. Ferrara, 1899.

*L'Osservatore Cattolico* di Milano, 1899.

*La Vera Roma*, 1899.

*L'Amico della Gioventù*. Anno XII, nn. 1, 2.

*Minerva*, rivista delle riviste. Vol. XVII, nn. 1, 2, 3, 4.

*La Toga*. Roma, anno II, n. 1.

In I  
Ubic

DE

ET AMERIC

NAPOLÉON  
Europa  
Galliae non  
Austria devi  
Exemplum B  
Sadovae pug  
sub suo pro  
visi sunt co  
scrimen duob  
clausis. Valid  
runt. Res av  
ergo exerciti  
peratore add  
Quae victori  
famam erexit  
Borussia re  
imperium re  
ritus non cat  
siam insectati  
ne novum in  
vires opus  
splendoris an  
via divertisse  
insecutum in  
tentionem i  
alteri se op  
nullum: simu  
exercebantur  
piarum num  
Triplex hind  
striam atque  
que extimes  
nita exerciti  
coercuit.

At foedi  
primum deb  
sertim prop  
unaquaque  
vel occupata  
tibus cupidit

Angli ev  
spectatores,  
Orientis colo  
qua gens po  
neque id fo  
nationum or  
natione ext  
rare, loca i  
navium num  
ropae natio  
stent, tam  
foedus adsp  
piti preman  
rerum succ

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

|   |                     |   |
|---|---------------------|---|
| PRETUM SUBNOTATIONIS:<br>In Italia . . . . . Lib. 10<br>Ubique extra . . . . . Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3 | BIS IN MENSE PRODIT | POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:<br>ARISTIDES LEONORI, eques.<br>ROMAE - Via Alessandrina, 87. |
|---|---------------------|---|

## DE PROBABILI FOEDERE

INTER ANGLIAM

ET AMERICAEE SEPTENTRIONALIS CIVITATES

**N**APOLEONIS tertii tenebricosa consilia multa in Europa novarunt, praevalidae tunc temporis Galliae non quidem profutura. Eius scilicet auxilio, Austria devicta, Italiae regna in unum coalaure. Exemplum Borussiam allexit. Idem conata, Austriam Sadovae pugna concidit foederatamque Germaniam sub suo proprio rege constituit. Tum vero Galli visi sunt comprehendere quantum instaret sibi discrimen duabus iisque potentibus ad orientem regnis clausis. Validiores adorti, Germanis bellum intulerunt. Res avidius quam prudentius suscepta. Fusis ergo exercitibus, aut in captivitatem cum ipso imperatore adductis, ingens clades Galliam afflxit. Quae Victoria adeo Germanorum bellicae virtutis famam erexit, ut nihil non eis permisum putaretur. Borussiae rex imperator renuntiatus, Caroli Magni imperium renovaturus videbatur. Obstitit fortasse ritus non catholicus. Imo quae secuta est in Ecclesiam insectatio visa nonnullis abdito excitata consilio ne novum imperium ad altiora contenderet. Retusae vires opus Dei attentantes, non parum acquisiti splendoris amissum, tanquam ipsum imperium a sua via divertisset. Quod exinde tempus ad hunc diem insecurum minus magisque occultam praefert contentionem inter maiora Europae regna alterum alteri se opponens ne nimis emineret: bellum nullum: similitates partim obscure, partim aperte exercebantur. Auctus supra quam credibile est copiarum numerus, timor belli fit ipso bello exitiosior. Triplex hinc foedus initum inter Germaniam, Austriam atque Italiam Gallorum minas vindicationesque extimescentes. Haec societas ingentibus munita exercitibus arma hostilesque in Europa animos coercuit.

At foedus inter Galliam et Russiam sancitum primum debilitare hanc spem pacis visum est, praesertim propter extremi Orientis controversias, ubi unaquaque Europae natio vel territoria acquirere vel occupata retinere studet. Itaque ex conflictibus cupiditatibus ingens belli timor.

Angli eventus praesensere; diu inertes bellorum spectatores, immensas possessiones suas florentesque Orientis colonias in periculum adduci censuerunt si qua gens pollens viribus colonias proxime condere, neque id fore difficile, Napoleonis impulsu pristino nationum ordine immutato. Hinc ne marium dominatione exturbentur, classes potentissimas comparare, loca idonea occupare, communire, et licet navium numero et nauticæ rei peritia omnibus Europæ nationibus vel una coniunctis longe præstant, tamen ad Americae septentrionalis reipublicæ foedus adspirare. Puto ne si bello lassetur ancipi tali premantur periculo. Itaque tali freti subsidio rerum successus sine trepidatione expectant.

Hoc tertium probabile foedus maximi apud nos ponderis licet aliquantum perpendamus.

Nulli populo honestius ac tutius se crederent Angli quam huic populo americano. Eadem origo, leges fere, mores, consuetudines: par alacritas et constantia, studia non dissimilia. Legum asperitate antiquitus ortum dissidium Americam sciunxit ab Anglis, tamen nullas inter gentes similitates reliquit. Res publica constituta, aucta incredibili celeritate et fortuna, ut post centesimum annum imperium aequa ac robur maximum adepta sit. Attamen nunquam ab Anglis alienatus populi animus, licet interdum controversiae de negotiis et decertationes orirentur. Quod animadvertisentes nonnulli ex prudentissimis Americae moderatoribus suos non semel monuerunt ut amicitiam cum Anglis excoherent, hoc utilitas et duorum populorum ingenium exposcere, hoc humanitatis et civilis progressus interesse quamplurimum.

Et vir ille domi bellique summus Grant haec postrema in commentariis suis scripsit: « Anglos et foederatae Reipublicae incolas natura sociavit, vigeat ergo inter eos amicitia, utrisque stirps eadem et sermo praeter alia vincula ». Nec multo post adiicit: « Anglia multo melius suas gubernat colonias quam ceterae nationes: severitati iustitia comes: coloniae sibi consulunt, cautum quidem ne opus desit operariis. Nullum argumentum, nulla species quod Anglia habeat colonias suas tanquam exteris possessiones quae sibi tantum fructum ferant ».

Invaluit quidem post plura cum Anglia dissidia inter Americanos opinio se non adeo eis acceptos. Verum hanc nubem puto omnino dissipavisse propensi animi signa quae illa praestitit Reipublicae cum Hispanis bellum gerenti. Consulentibus praeterea huius aetatis memorias multa strenue aequa ac humanter ab utroque populo gesta apparent.

Ex quibus inferendum non minus in ipsis lingua et mores, sed et agendi principia eadem vigere. Quoties oppressis populis Anglia succurrit! Quorum nonnulli eius ope pristinam recuperavere libertatem. Quanta virtute ac constantia gestum ab Americanis secessionis bellum, quanta usi moderatione post victoriam! Equidem si in impia Armeniorum caede duarum foedus exstisset nationum, turpi desidentibus aemulatione Europæ regnis, atrox flagitium vetitum aut non impune abiisset.

Quorsum haec de tertio probabili foedere? Nempe quod duobus aliis nobis fore videtur solidius et efficacius. Non Russiae et Galliae, non Germaniae, Austriae atque Italiae eadem in res omnes consensio, nec tot sociabilitatis elementa, nec in unum finem studium par. Adde quod quamlibet societatem dirimit cupiditas et utilitatum repugnantia. At Angli et Americanus populus ambo praevalentes viribus, nulla in Europam ambitione laborantes, tantum humanitatis iustitiaeque freti principiis, si in unum consipient, vix

credibile est quanta possent mala cavere, quantas utilitates parare. Quis enim auctoritatem eorum non vereretur, vires non extimesceret?

Utinam tot præclaras animi dotes, tantum vi rum robur fidei catholicae integritas cumularet! Quantum huic societati stabilitatis accederet, quantum praesidii, maxime in coloniarum propagatione! Etenim si foedus hoc ad tutandas et diffundendas quas uterque tenet populus possessiones potissime iniaretur et Christi præconibus qui inter mille pericula et incredibiles labores in ea loca præcessere e catholica fide opitulareret, quanto firmius cum Ecclesia consistaret! quanta gentium ab hominum cultu fere aberrantium vera utilitate celebraretur! Est viris prudentia, est iustitiae studium, dicitiae in eorum manibus sitae sunt; unum deest, fides ea « quae vincit mundum ». Quod si catholica Ecclesia sine ullo armorum præsidio in tam dissitis regionibus tentoria statuit, quid futurum est si tam valido utatur patrocinio? Splendeat una cum foedere fidei integritas Anglis et Americae populis, et fiat « unum ovile et unus pastor ».

A. ZAMA.

## DE ETHNICORUM SCRIPTIS IN ADOLESCENTIUM INSTITUTIONE RETINENDIS

**A**NTÉ annum fere quadragesimum, Romae illud est in disceptationem adductum, utrum ethnicorum libri essent ab adolescentium institutione reiciendi, atque Patrum Ecclesiae, qui vocantur, in eorum locum scripta sufficienda, an maiorum tenenda consuetudo, a qua multi et ii docti, plus aequo metuentes ne ex adolescentium animis religio extraheretur, studio, quam licet maximo, ut omnes desisterent contendebant. Nec vero desuerunt qui, suggestum conscedentes, hac de re in contrarias partes disputarent, pertinaci quidem in sententia mentem obfirmantes, at rationes, quibus ad id im pellerentur, egregie ac diserte prosecuti. Sed enim, etsi plurima ad rem disceptata scriptisque edita fuerunt, illud, de quo quaerebatur, compositum non est; nam, spatio temporis intermissio, tum apud Gallos, tum apud Belgas vehemens atque acris existit quaestio, quae magna iudicij vi usque ad nostram hanc aetatem in utramque partem disputata, neque tamen ad exitum adducta est, alii pugnantibus Ecclesiae Patrum scripta esse in scholis studiose legenda, aliis longe securi ac illi sentientibus eosque complimentibus. Mihi autem non est illud in animo ut, ad præcipiendi rationem delapsus, de causa penitus decernam: id contra sequor, ut quod in controversiam specie quidem magnam, re autem vera perspicuum cadit, clementer disputem, et, id locutus quod sentio, in eam sententiam respondeam quam res ipsa docet. Nisi omnia me fallunt, sic sentio, rem Basilium illum magnum acu tetigisse, qui oratione

grandi atque sublimi, floribusque eloquentiae conspersa, planum fecit argumentisque confirmavit, non esse ab iis, qui adolescentes liberalibus artibus excollunt atque expoliunt, ethnicorum libros reiiciendos, plurimumque emolumenti posse in eorum mentes derivare, qui ingenuarum disciplinarum studio teneantur.

Quod quidem non ille dixit solus; hoc enim Patres Ecclesiae tenebant, dicendi venieres, figurorum splendorem sententiarumque lumina antiquis graecis et latinis scriptoribus, qui iniuste ea possiderent, esse detrahenda: in illis plures atticae dictionis venustate atque elegantia non minimum capti sunt, eaque Ioannes maxime Chrysostomus artem suam locupletavit et ornavit, quemadmodum Plautinos flores Hieronymus inflammato studio est persecutus. Etenim unus est doctorum virorum sensus, eo maxime litteris praepositos spectare, ut adolescentes aetatem primam bonis artibus ingenuisque disciplinis dicantes optimam perdiscendae ornatae dictionis rationem adipiscantur; quibus id quidem assequi licet si libros studiose legant ac pervolutent, et numquam de manibus dimittant, quos omni ex parte in suo genere perfectos graeci et latini scriptores considerunt: quantum enim antiqui illi inter omnes excellant, tum genere dicendi, tum sententiarum luminibus, nihil attinet dicere. Nullum sane exemplar orationis perfectius adolescentulis proponi potest ad imitandum; nam eorum oratio perfecta est, quia apte ad id quodcumque narratur omnia dicit, exprimit, effingit, in animis legentium defigit, nec minus graviter quam suaviter.

Ubertati vero et copiae orationis crebritas sententiarum coniungitur, quae reconditae sunt et exquisitae, quod referunt sub aspectum subiiciunt, ratione optima inter se excipiunt, vigoris plurimum habent, argutae sunt et graves, saepe etiam officii praecepta probe spectant atque virtutem. Quae si vera sententia est, quum nullum perfectius sit orationis exemplar in quo tum omnium verborum collocatio ac structura, tum commoda sententiarum dispositio aptius eluceat, quosnam intellegemus libros in schola legendos atque cognoscendos, ethnicis graecis latinisque rejectis? Haec autem omnia, si verum quaerimus, non ita apud Patres Ecclesiae reperias; non quo in iis nullum perfectae dictionis vestigium sit, sed tamen laus haec non est illis praecipua. Nam, si a paucis iisdemque graecis christiana sapientiae scriptoribus discesserimus, quos oratione uti polita atque eleganti et quibusdam quasi luminibus distincta verborum et sententiarum par et idem est doctorum hominum consensus, ceteri, quae Augustini sententia est, quidquid in ipsis erat industriae atque opera in id unum conferebant, ut, elegantissimorum scriptorum laudem posthabentes, quid in quaue re verum esset ingenii acie perspicerent, summoque studio non animos movere ac delectare, sed veritatem inculcare et docere conarentur.

Quae cum ita se habeant, equis illud in animum inducat suum, memoriae nostrae adolescentulis Patres Ecclesiae esse in schola solos proponendos, qui aquilibus suis ad ingenua studia atque artes instituendis mentem curamque minime intenderunt? At enim dicunt adolescentium animos stolidis opinionibus infici atque ad illecebras et oblectationes allici, si ipsis ad imitandum libri proponantur, qui tum religionis contemptu, tum foedissima rerum turpitudine verborumque obscenitate referti sint. Sed haec, uti rem cum animo spectantibus planum est, non parum futilia sunt ac levia, neque ex his aliud effici cogique licet nisi ex ethnicorum libris, antequam adolescentulis ad imitandum proponantur, ea

esse detrahenda, quibus homines male morati, mentesque superstitione occupatae laetantur. Illud vero non est silentio praetereundum, iure quidem bonis artibus praepositos id mirifice spectare, ut nihil scriptorum verbis contineatur quod foedum sit ac turpe: at iniuria omnino illud cupere, ut graeci scriptores atque latini in adolescentium animos christiana legis praecepta consignent et conserant. Quamobrem nihil malum quam ut ad ethnicorum libros, qui nativa quadam elegantia ac munditia commendantur, huius aetatis adolescentuli mentem adiuvgant, eosque assidue tractent conterantque legendo.

F. TEDESCINI.

### MINUCIANA

**D**E Minucii Felicis aetate haud satis constat inter viros doctos; quamquam enim omnes consintunt, eum inter primos fuisse christianos scriptores qui latina lingua usi sunt et Tertulliani fere aequalis, tamen iamdudum quaestio est, utrum Minucii *Octavius* ante Tertulliani *Apologeticum* compositus sit an *Apologeticum* ante *Octavium*.

Quod si Lactantius in quinto *Divinarum Institutionum* libro litteratos enumerans qui ante se verae sapientiae et religionis praeconium suscepserant, Minucium laudavit ante Tertullianum et Cyprianum, at Hieronymus, non indiligens quidem temporum investigator, in libro *De viris illustribus* et aliis operum suorum locis Tertullianum ante Minucium aperte collocare non dubitavit. Aint quidem nonnulli Hieronymum in rebus quae ad temporum ordinem pertinent manifestissimi erroris toties fuisse convictum, ut diligentiae laus ei omnino sit abiudicanda eiusque testimonium nihil aestimandum; at, meo quidem iudicio, res hic nimis augetur verbis et multo plus dicitur quam patitur veritas; ut enim interdum in errorem lapsus sit Stridonensis scriptor, nemo inficias iverit, eum ex optimis fontibus tum graecis tum latinis immensam quandam eruditionem hausisse quae in maximo pretio nobis est habenda. Ex altera parte de Lactantii enumeratione quam supra memoravimus sunt qui iudicent, eam non ex temporum rationibus constitutam esse, sed eo ordine quo quisque christiana fidei defensor ceteris praestare visus erat argumentorum pondere; quod quidem haud veri simile videtur, tamen sufficit ad testimonium Lactantii de aetate Minucii infirmandum. Ita factum est, ut primi *Octavii* editores, velut Balduinus (Heidelbergae, 1560), Fulvius Ursinus (Romae, 1583), Woverius (Basileae, 1603), Elmenhorstius (Hannoverae, 1607), Lactantii ordine neglecto, Hieronymique auctoritate freti, una voce Minucium Tertulliano posteriore aetate adfirmarent. Ante eos item Tritheim Spanheimensis in lib. *De scriptoribus ecclesiasticis* (editionem vidi Coloniensem anni 1546) adfirmaverat, nullo quidem arguento nixus, sub temporibus Alexandri Severi imperatoris floruisse Romae Minucium anno circiter a nato Christo ducentesimo et trigesimo.

Primi saeculo xvii in contrariam sententiam ieviunt Blondelius (1617-1656) Dallaeusque Francogalli et Dodwellus Anglus (1641-1711). Horum argumenta paulo accuratius exsecutus est saeculo insequentis Daniel Van Howen Batavus in opere cui titulus *Campensia, sive Spicilegia critico-antiquaria*, Campis edito anno 1766. Sententiae et argumentis Campensibus suffragatus est ineunte saeculo nostro vir maximae auctoritatis B. Georgius Niebuhr, ut videre est in eius opusculorum corpore, *Kleine histor.*

und philolog. Schriften, coll. alt., p. 52. Sed qui prius hanc quaestionem vi ac ratione tractavit, is est Adolphus Ebert, celeberrimus auctor eius operis quod inscribitur: *Geschichte der christlich-lateinischen Literatur von ihren Anfängen bis zum Zeitalter Karl des Grossen*. Doctissimus hic vir de aetate Minuciana disseruit hoc titulo: *Tertullian's Verhältniss zu Minuc. Fel.*; quod opusculum, anno huius saeculi 68 conscriptum, legitur in quinto volumine commentationum quas edit Saxonica scientiarum Academia. Pluribus Minuciani *Octavii* et Tertulliani *Apologeticum* locis collatis demonstrare sibi visus est Ebertus ex Minucio Tertullianum pendere, ideoque *Octavium* ante annum 197, quo *Apologeticum* editum est, fuisse conscriptum. Cui sententiae cum plerique post Ebertum assentirentur, non defuerunt qui in alia omnia transirent, aut Minucium Tertulliano posteriore arbitrari perseverantes, aut, aetatis quaestione posthabita, ita rationem quae intercedit inter eos explanantes ut utrumque dicent ex tertio quodam fonte eas res hausisse quae sunt utriusque communes. Haec altera opinio a Guilelmo Hartelio Vindobonensi primum prolatam (*Zeitschrift für österr. Gymn.*, vol. XX, 1869, p. 348), post a Friderico Wilhelmo in *Vratislavien-sibus Commentationibus* (vol. II, a. 1887) novo nugarum apparatu tentata, iam doctorum virorum consensu explosa est.

Inter eos qui Minucium Tertulliano posteriore arbitrantur adnumerandus est vir immensa et admirabilis eruditionis, Adolphus Harnack, cui multum debet prisca christianarum litterarum historia. Contra Eberti opinio fautorem doctum nuperrime invenit Eduardum Norden Griphswaldensem, cuius opusculum de hac re anno 1897 in lucem editum est.

Cum res ita sese habeat, quid restat nobis ad hanc quaestionem solvendam, nisi ut ipsos scriptores qui in controversia sunt adeamus, et eorum opera diligent comparisonem perpendamus? Sed id alias, si tibi placet, benigne lector.

F. RAMORINO.

### EX BOSPHORI LITORIBUS

**T**urcae scriptores. - Scholae, praecoptores et discipuli apud Turcas. - Num lavabitur Aethiops et candescet?

**A**NTIQUISSIMA tempora pervulgarunt, novissima autem omnium sermone confirmant, studiorum, uti apud vos excoluntur, nihil apud Turcas haberi. Ab illo Omar iudicio, qui flammis Alexandrinam bibliothecam addixerat, inutile prorsus quidquam asservari decernens, praeter *Coranum*; idem propemodum fuit mos, quoties oppida et urbes in Turcarum venerunt potestatem.

Nunc vero, quis credit?, fervet ardor discendi, fervet studiorum opus per litora Bosphori, et, si Superis placet, brevi vos Turcae aequabunt; fortasse a Turcarum filiis, vestri superabuntur.

Qui igitur centum et quinquaginta abhinc annis vix centum libros imperatoria una illa officina Constantinopoli ediderunt, nunc *Numismaticas investigationes Sabhi Bei*, et *Chimicae libros* auctore Edhem Pasciā in medium proferunt, mirantibus et obstupescientibus circa gentibus, quibus novum erat Turcas, hactenus omnia vastantes quae ad huiusmodi pertinent cultum, conversa mente et vetusta colligere et collecta exornare, amplificare, coram ostendere, ne dicam ostentare.

Sic Djovel Effendi, sic Zia Bey historias Turcae gentis censoria inquisitione scrutantur; sic quoad res

publicas exte  
numenta dicu  
tur, et *Fuad*  
linguae gram

Quid  
vestris in  
lyceum,  
centiores  
tur, trad  
imperant  
qui studi  
Iamq  
Ulemis,

publicas exteris gesta negotia, quae diplomatica monumenta dicuntur, a secretissimis tabulariis effodiuntur, et *Fuad Pasciā* primam rationali more turcae linguae grammaticam p̄oelis mandat.

omne ministerium et arbitrium doctrinae tradenda, *Corano* tantum excepto: bibliothecae non amplius templis eorum (*Moschaeis*) commendatae, sed in civiles usus et ad publicam voluntatem et utilitatem apertae.

rias uti scholarum millibus viginti et octo et amplius octingentis ac quatuor, in quibus octingenta nonaginta sex millia discipulorum, et quadringenta septuaginta novem insuper versantur. Bibliothecae numerantur

## TENVI VICTV CONTENTVS, INGLVVIEM FVGE

## AD FABRICIVM RVFVM

## EPISTOLA

*Quo victu immunem morbis, et robore vitam  
Ducere florentem possis, sermone diserto  
Sedulus Hippocratis cultor rigidusque satelles  
Haec nuper praecepta bonus tradebat Ofellus;  
Multæ et de tristi Ingluvie gravis ore locutus.  
Munditiae imprimis studeas; sine dñe cultu  
Mensa tibi, nitidae lances et candida mappa. —  
Apponi in mensa iubeas purissima vina;  
Et vacuus curis, grato præcordia potu  
Demulce et recrea, convivas inter amicos.  
Sobrius at caveas, nimium ne crede lyaco,  
Neu crebra pigeat calices perfundere lympha. —  
Candida lympha! datum vix quidquam hoc munere maius,  
Vix quidquam varios vitæ magis utile in usus. —  
E munda cerere atque excocitos delige panes. —  
Quas gallina dapes aut bos agnusve pararint  
Sume libens; toto nam firmant corpore vires;  
At mollire prius carnes, et fercula cures  
Ne siser inficiat, ne faccula coa vel alc. —  
Nunc age; et in mensa spumantis copia lactis  
Ne desit, studeas, tereci defusa catino.  
Nil vitale magis, nil lacte salubrius; infans  
Qui lac suxisti, senior bene lacte valcibis. —  
Degustanda simul profer dulcissima mella;  
Altamen hyblaco parcus de nectare liba. —  
Tum laudata tibi sint ova recentia, succum  
Leni igne aut libeat modicis siccare patellis,  
Sugere vel mollem pleno sit gratius ore;  
Uticumque absumas erit utilis esca saluti. —  
Culta suburbano, riguoque virentia in horto  
Adde olera et pubens decusso flore legumen.  
Adde novos quos laeta refert tibi vinea fructus,  
Dulces pampinea decerptos vite racemos,  
Pruna admixta pyris, imprimis mitia poma,  
Quae pulcre in cistis mensam rubicunda coronent.  
Postremo e totis succedat potio baccis,  
Quas tibi Moka ferax e littore mittit eo:  
Nigrantem laticeum sensim summisque labellis  
Sorbillæ; dulcis stomachum bene molliet haustus.  
De tenui victu haec teneas, his utere tutus,  
Ad seram ut valeas sanus vegetusque senectam.*

*At contra (haec sapiens argute addebat Ofellus)  
Nectere nata dolos, homines et perdere nata  
Vitanda Ingluvies, crudelis et improba siren.*

*Principio hæc illi sollers et sedula cura,  
Instruere ornatu mensas cultaque decoras.  
Explicat ipsa viden tonsis mantelia villis;  
Grandia disponit longo ordine pocula, lances,  
Caclatas auro pateras, argentea vasa;  
Mensa thymo atque apio redolet florunque corollis. —  
His laute instructis, simulata voce locuta  
Convivas trahit incertos; succedere tecto,  
Et lectis blanda invitat discumbere eburnis;  
Continuoque reposta cadis lectissima vina  
Caecuba depromit, coumque vetusque falernum;  
Quin exquisita stillatos arte liquores  
E musto et pomis, ultro potantibus offert.  
Convivas humcant certatim guttura, et una  
Succosas avido degustant ore placentas.  
Ecce autem lucanus aper, perfusus abunde  
Mordaci pipere atque oleo, profertur edendus,  
Et leporum pinguis armi, et iecur anseris albi,  
Assique in veribus turdi, niveique columbi.  
Carnibus admixti pisces; cum murice rhombi,  
Ostrea, et educti Miseno e gurgite echini.  
Hos super, immanis, patina porrecta nitenti,  
Apparet squillas inter muracna natantes. —  
Attonitis inhiabit oculis; saturantur opime;  
Cuncta vorant usque ad fastidia; iamque lyaco  
Inflati venas nimio, dapibusque gravati  
Surgunt convivæ, temere bacchantur in aula,  
Insana et pugiles inter se iurgia miscent,  
Defessi donec lymphata mente quiescent.  
Laeta dolum Ingluvies ridet, iam facta suorum  
Compos votorum, et gaudet, memor artis iniquae,  
Ceu nautas tumida percuntis aequoris unda,  
Mergere convivæ miseros sub gurgite tanto.  
Nam subito exsudant præcordia, et excita bilis  
E iecore in stomachum larga affluit, ilia torquet,  
Immanemque cict commoto ventre tumultum;  
Membra labant incerta, stupent pallentia et ora.  
Corpore sic misere exhausto fractoque, quid ultra  
Audeat Ingluvies? ipsum, prob dedecus!, ipsum  
Figere humo, ac (tantum si fas) extinguere malit  
Immortalem animum, divinæ particulam aurae.*

## Leo XIII.

Hanc SS.mi D. N. epistolam editione novissima instauratam hisque paginis decorandis ab Ipso Augusto Auctore benigne concessam, Vox Urbis grata referit.

Quid iam Bosphoranis deest? Quid nostra haec vestris invidet præclarissimis urbibus? Hic militare lyceum, ubi novissima quæque armorum genera, recentiores belli artes, et quidquid huiusmodi probantur, traduntur, panduntur; hic supremus et alter ab imperante vir, qui variis disciplinis tradendis præsit, qui studia foveat, qui augeat.

Iamque a sacerdotali eorum collegio, quod ab Ulemis, hoc est doctoribus, nomen habet, avulsum

\*  
Quid vero de scholis?  
Ab indice, quem kalendarii more exaratum publicae institutionis moderator supremus Constantino-pol prodire voluit, accepimus, nunc in hac principe urbe tercentas ac duas enumerari scholas, quas vi-ginti septem millia alumnorum, ac septingenti qua-dranginta quinque frequentant; ceteras imperii provin-

Byzanthii quadraginta septem, in reliquo imperio ducentæ septuaginta et septem. Praeceptores Turcae mille sexcenti octoginta et octo in urbe principe; in ceteris huic subiectis dominationi provinciis triginta millia et centum.

Vix autem creditibilis est locorum numerus, in quibus more graeco, gallico, italico, armeno, germanico, moscho, anglico docetur, sermone singulis proprie, ita ut habeatur quasi aemulatio quaedam occu-

pantium, aut saltem inhiantium occupare principem locum, et (si fata vocent) in posterum dominari.

★

Equis, hisce perfectis, non reputet Constantiopolitana urbem esse centrum quoddam, in quod omnium gentium disciplinae quasi in designatum praescriptumque locum convenient, coniurantes amice ut hanc urbem, hunc populum novis ditent, hisque faustis et felicibus fatis, ut quod iacet imperium, tabe senescens diuturna, lacertos moveat et quasi iuventute reddita revirescat? Et tamen eo per ventum est, ut nec malum nec remedia pati Turcae possint, iidemque nec provehendo cultui nec barbariae retinendae pares esse videantur.

B.

magna quies consequetur in principum mentibus, et sapientiora in quiete consilia!

Quid vero? Non potest in armorum militumque in diem crescente apparatu perseverari? Aio non posse. Quum enim pleraque gentes opum indigentia mox sistere cogantur, nonne potius consensu pacifico quam egestatis necessitate concedendum?

Verumenimvero nulla est in immoderato isto armorum incremento utilitas, etsi queat continuari. Quum enim omnes cuiusvis populi vires eadem simul ratione crescant, nulla gens fit reapse robustior, et dum crescit periculum non crescit securitas. Res ludo similis; de ludi regulis fiat pactum ut in ludis; si minuantur in certa ratione partium facultates, in eodem admodum situ unaquaeque permanebit.

fiet ut reges, quos charta liberali moderamine regit, ea stipulatione omnino obligentur, tyranni autem immoderatique imperatores omni freno maneant immunes. Proposita itaque pactio in libertatis damnum cedet.

Equidem fateor me ista non intelligere. Nam si pactum ineatur, quid interest utrum rex de quo agitur, vel princeps aut praeses sive alia quavis ratione nominetur, interiore ipsius regni regimine, id est constitutionibus scriptis aut consuetudine stabilitis teneatur, an ipso chyrapho pactionis a se sancitae inter gentes? Sunt verba et voces: tenebitur δεσπότης lege pactionis, non aliter ac illi principes, qui sese fundamento pacti interioris erga suum populum obstrinxerunt.

★

#### DE MOSCOVIAE IMPERATORIS CONSILIO

CIRCA PACEM

**H**AC in re illud primum inquirendum videtur, utrum inter aegri somnia sint recensenda, quae in Nicolai II litteris continentur, an potius consilium rationi consentaneum, quod eventus aliquando explere possit.

Praestat initio animadvertere, ab eo Caesare meliorem tantum populorum societatem peti, non perfectam, quae haberi poterit nunquam; nihil enim humani reperias, quod non imperfectum sit et fragile.


Patet igitur pacem inter mortales non posse haberi perpetuam aut nulla nube turbatam. Quid tamen prohibet quominus, si summam assequi perfectionem non licet, ad eam in dies propius accedamus? Cur graviora belli pericula non erunt maxima cura amoenda? Qua vero ratione amoebuntur? Quod vulgo dicitur « Si vis pacem para bellum », recentiori populorum experimento, fallax haberi debet; satis enim perspectum omnibus est, ingentibus militum copiis immensoque lethali machinarum congestu, pacem in Europa nulla ratione esse constitutam. « Miles », igitur, « perpetuus », quem Kantius aversum paci magnopere censem, certe cantio pacis satis tuta non est. Ergone oportet vim armatam omnem dimittere? Non ita profecto. Qui enim parat bellum is bellum habet; non idcirco tamen qui pacem parat, hanc sibi certam acquirat necesse est. Ad bellum vitandum securior saltem videtur belli repellendi praeparatio cum eiusdem vitandi animo coniuncta. His declaratis, iam diligentius inquiramus, quid vere sibi velit imperatoris consilium.

Non arma deponenda decernit Nicolaus, imo vim armorum utilem affirmat; sed neque removendos exercitus neque augendos existimat, quandoquidem rem velit in *statu quo*, ut aiunt, permanere.

Quo quidem proposito nihil prudentius aut moderatius videtur; ideoque minime negligendum. Neque enim in infinitum onus armorum sine usu in crescere; ingens aes alienum, quod solvi difficultissime possit, populos nomine liberos, re velut adscriptios facit, ut qui reipublicae cives nuncupantur, tributarios potius ac quasi servos existimare possimus.

★

Consistendum igitur est; nondum ruinis obruuntur gentes; adhuc integra res est! Consistendum, inquit Nicolaus! Ubi autem sistendi initium fiet,



Quare minime dubitandum quin perpetua ista exercituum ad offensionem paratorum incrementa pessima sint ac prorsus inutilia. Constat etiam finem huic rei facile imponi posse.

★

Pactum de pace pacisci cur non poterunt gentes? Fiant pacta; fiet res. — At quomodo poterit ab alterutra parte investigari fides alterius in pacto servando? Illud certe contingit, ut falsae tabulae mendacesque numerorum rationes conficiantur. Necesse erit uti speculatoribus qui clam investigent rei militaris apparatus apud exteriores gentes. Horum fidei populus obnoxius tradetur; iidem terribilem potestatem usurpabunt, quos facile exteri principes expugnabunt pecunia. Addit eruditissimus doctor iuris gentium (apud Gereifualdinam studiorum Universitatem) Starchius, non aequam fore, nostro hoc pacto, conditionem diversarum Europae gentium; nam quum apud alias omnes rerum in republica gestarum rationes reddantur, aliae autem rerum administrationem unius arbitrio permittant, id consequetur, ut qui rem publicam in arcanis aulae tractat, nonnisi ea quae placuerint typis committi sinat. Inde

Nonnullas tamen haerere in hac magna quaestione asperitates non inficiabimur: vix enim est in rebus humanis sine labore solubile negotium.

Ceterum, si unquam ineatur pactum de minuendis militum copiis in pace, sine dubio assumendum est, eas qui consenserint gentes, eidem pacto non nisi cum sincero pacis animo consensisse. Neque enim facile consentient, neque si consenserint mala fide consensisse facile arbitrabimur. Limen transgredi multi dubitabunt, sed paucis iam in domo « Pacis » egredi licebit.

★

Quid multa? Lis est inter homines hinc bonae voluntatis, illinc contra. Pax illis obtinet, qui sese pacis cupidos, eademque dignos praestiterint! Quod omnibus offert imperator Moscoviae, certe fieri potest, nec arduum illud quidem; unum satis est, sed necesse: modo velint! Qui nolunt, melius est ad rem tractandam non accendant; res est fidei fiduciaeque; ad iuris contemptores iurisque iurandi neglectores non pertinet; pacis veneratio pactionumque rigidior observantia nihil aliud est quam religio gentium. Nempe militia pacis suum habet ipsa quoque sacramentum!

MONTELUCCIUS.

#### DE MONUMENTO SEPULCRO ROMULI ATTRIBUTO

ET IN EFFOSIONIBUS FORI ROMANI  
NUPERRIME INVENTO

**M**ONUMENTUM omnium antiquissimum, nempe se pulcrum conditoris ipsius aeternae urbis, in Foro detectum fuisse vox undique per ephemerides pervulgata est. Et locus ille in Urbe celeberrimus turbam Quiritium et advenarum, insuetum multis abhinc saeculis plane spectaculum, denuo his diebus adspexit. Sed plures qui inopinato nuncio commoti et Fori Romani historiam non plene edocti sepulcrum ipsum se visuros esse putabant, delusi prorsus redierunt. Quapropter aliquid de hoc argumento lectoribus *Voxis Urbis* indicare necessarium omnino existimo.

Locus magni momenti Foro coniunctus *Comitium* fuit; ubi populus romanus iuxta antiquissimam Romuli divisionem *Ramnenium*, *Tilientium* et *Luceum* coire consueverat. Comitium iuxta Forum et in parte quae ad septentrionem spectat situm fuisse

comptum omnia vabat, « templum omnium gentium concilia habebat subsisterent leges, Caesaris te nunc sunt, transstilia, postea Iu-

(1) Cfr. descri-  
mate editam (*Le  
Romano*, 1896), pa-

(2) Pro Milon-

(3) VARRO, L  
scribit. De translata  
NEM CASSIUM, XL



Pinx. Ghirlandaius in aede S. Hieronymi Narniae.

compertum omnibus est (1). Ibi Curiam adspicere iuvabat, « templum illud sanctitatis, caput urbis, portum omnium gentium », ut Tullius scripsit, ubi Senatus concilia habebat (2); graecostasim in qua nationum subsisterent legati; et ante Curiam rostra quae postea, Caesaris tempore, iuxta Clivum Capitolinum, ubi nunc sunt, translata fuere (3). Curia, quae prius Hostilia, postea Iulia appellata est, aedificio illi prorsus

(1) Cfr. descriptionem Fori a me gallico et italico idiomate editam (*Le Forum Romain*, 1895, pag. 45 sqq.; *Il Foro Romano*, 1896, pag. 37 sqq.).

(2) *Pro Milone*, 33.

(3) VARRO, *De lingua latina*, V, 32, comitium diffuse describit. De translatione autem rostrorum testem habemus DIONENM CASSIUM, XLIII, 48.

respondet quod christiana aetate Hadriano martyridicatum est; quae omnia in tabula ichnographica a nobis iam in superiore numero prolata facile lectores videbunt.

In Comitio sanctiora monumenta, et Urbis ipsius fundationi coniuncta, veteres Romani superstitionis cultu servabant. Ibi enim, ut Plinius ait, ficus ruminalis quae Romuli ac Remi infantiam protexerat colebatur (1); ibi Martiae statua et complura signa antiquissima; ibi denique, ut alia praeteream, *Vulcanus* quoque fuit. Sed inter monumenta quae fabulosas urbis origines in mentem Romanorum revocabant,

teres nobis servarunt. De hoc Varronem et Festum, quamvis diversas traditiones referentes, auctores habemus. Primus enim sepulcrum Romuli « post rostra » fuisse affirmat (1): alter « nigrum lapidem » in Comitio positum Romulo refert, haec scribens: « Niger lapis in Comitio locum funestum significat, ut alii, Romuli morti destinatum; sed non usu obvenit ut ibi sepeliretur, sed Faustum nutricium eius ibi sepultum fuisse... ». Ex quo colligitur iuxta Festum lapidem illum non sepulcrum Romuli fuisse, sed tantum sepulcro illi destinatum et potius ibi Faustum conditum. Et ex verbis utriusque facile apparet scri-

(1) Verba haec Varronis citantur a PORPHYRIO Horatii scholiaste *Epid. odes X*, 16. At in alio scholaste legitur « pro rostris ».

(1) PLIN. *Nat. Hist.* XV, 20.

ptores illos incertam plane hac de re traditionem relatisse; quam incertitudinem et oscitantiam profecto confirmat silentium rei, quae maximi procul dubio momenti esset, apud alios qui de Foro egerunt veteres scriptores.

Nunc vero, ut de nova detectione verba faciamus, hoc est animadvertisendum, in ea parte quae inter Forum et Comitium iacet, haud longe ab arcu Severi Augusti triumphis insigni, pavimentum lapideum nigri coloris, marmoreis fragmentis septum, recentiorum effissionum gratia, in lucem produisse. Statim de Festi « nigro lapide » et de sepulcro Romuleo iuxta Varonem quidam cogitarunt. Quam sententiam nec affirmare nec refellere in animo est; in praesentia enim effissionum statu praematura adhuc quaelibet hac de re opinio dicenda.

Nam mnemosyna multa, ut iam diximus, in Comitio extabant; et opinari etiam licet aream, plane diversi monumenti lapide a pavimento Fori ac Comitii dissimili, venerationis causa, strata a veteribus fuisse. Et aliquid hac de re fugaciter innuens, de area exempli gratia ficus ruminialis cogitare non absurdum omnino reor.

Ficus enim ruminialis iuxta Plinium « in Foro ipso ac Comitio » fuit; scilicet in limine, ut ita dicam, Fori et Comitii, ubi novum nunc monumentum detectum est. Notandum quoque sub ipsa arbore receptaculum quoddam exstisset, quod lapide strato obiectum facile fuit; nam idem Plinius arborem illam « fulguribus ibi conditis » sacram appellat (1).

Hicce vero obiter tantum dictis, hoc statuendum profecto est, monumentum nuperime detectum sacram ab antiquis reputatum fuisse et propterea lapidibus septum; et facile ad fabulosa pignora ab antiquis ipsis dubitanter accepta referendum esse, sed nullo modo monumentum illud omnium vetustissimum ac fundationi Urbis coaevum dici potest.

Praeterea gloria haec vetustissimae antiquitatis

(1) PLIN. NAT. HIST. XV, 20.

5]

## ANTHEA

(Ex fabula H. SENKEWITZ POLONI, *Eamus ad Ipsum*).

— At, nisi fecissem, restingui hercle incendia illa non poterant. Meum autem munus est civium saluti consulere ac sedulo advigilare ne publica tranquillitas ulla de causa turbetur. Extrema vitare, medium se gerere, in neutrī partibus esse, id mihi semper optimum visum est atque tutissimum. Ceterum huiusmodi negotiis adeo sum fractus, ut tertianae impetum timeam. Postremo agitur de homine obscuro, cuius nemo suscipiet curam; publica vero salus postulat ut unus det poenas; qui si meliore fortuna non utitur, dii immortales viderint, qui eum civem romanum esse noluerunt.

Cui Anthea: — Non Romae tantum affulget Sol.

— Obsecro, Anthea — inquit Pontius — ne mecum severius agas. Tuus te facile coniux docebit, latam semel sententiam revocari non posse; nisi quid vis ad haec, Cinna.

— Ita prorsus.

Haec ingrata mulieri acciderunt, secum mussintanti, qui fieri posset ut atrox esset obeunda mors homini, qui ab honesto discessisset nunquam.

Cui Pontius: — Nemo culpa vacat. Neque tamen constat admissum quidquam ab isto fuisse, quare videatur accusandus. Idecirco lavi procurator manus. Necesse autem est omnem ab illo mortis abesse metum, qui se resurrectum affirmat.

inter omnes Urbis reliquias tribuenda potius est puto illi tofo exstructo qui, muro ipso Romae quadratae antiquior, in Palatio duobus abhinc annis in lucem rediit. De quo insigni pastoralis palatini pagi monumento ipse iam scripsi (1); et serius in hac ephemeride iterum, cum tempus erit, agam.

HORATIUS MARUCCHI.

## ANTONIUS FOGAZZARO

SAPIENTISSIMO Dei consilio factum est ut ex ceteris praeclaris viris egregiis poeta Antonius Fogazzaro nostra hac tempestate floret, qui tota animi contentione obsisteret funestae illi rationi, quae artibus ac litteris praesertim invaluit, quaeque nimio ac procaci veri studio dum rerum atque hominum naturam ad unguem exprimere conatur, inhonesti ac turpia oculis impudenter subiicit. Noster enim miti ingenio atque animo suavissimo, de quo iure illud Horatii (2):

.... animae quales neque candiiores  
Terra tulit,

vehementer dolebat quum videret virgines Musas, pudicis vestibus a se deiectis, sui in honestum spectaculum hominibus praebere, atque in tragoeidiis, comoediis, facinorumque heroicorum fabulosam narrationibus stupra, adulteria et cetera id genus flatigita luce quadam et gloria suffusa magno cum detimento bonorum morum commendari. Quare quum verae artis officium penitus perspexisset, cuius est meliores reddere hominum mores, italicis numeris scripsit poema, cui titulus *Miranda*, suavibus atque egregiis animi sensibus plane redundans: hoc libro dum miseri enarrantur casus cuiusdam Mi-

(1) Cfr. H. MARUCCHI, *Guide du Palatin*, Rome, 1898, pag. 122.  
(2) Serm. I, 5, 41.

randae, mitissimae optimaeque puellae, lectorum animi suaviter vehementerque permoventur. Virtutibus praeditum est hoc poema, sed non omnibus vitiis emendatum: interdum enim auctor obscurior fit, atque selecta propriae vocabula aliquantulum negligere videtur; sed contra quot suaves animi motus excitantur! quale virtutis exemplar imitandum lectoribus exhibetur!

Ex mirificis naturae spectaculis, a qua veluti ex fonte continuo atque perpetuo poetae omnes sublimia hauserunt, Fogazzarus quoque divino, ut ita dicam, spiritu afflatus mirifica conscripsit carmina, quibus nomen *Valsolda*. Ex his versibus feliciori arte confectis praecipue notandum *Infinitum*, quod Iacobo Zanella sublime visum est, et *Novissimum Verbum*, quod eiusdem iudicio exquisitio rem artem Foscolianam abunde redoleat.

Sed insignis poeta iamdiu animadverterat poesim parum conferre ad lectorum animos a turpium contemplatione avocandos, eosque ad altiora ducentos, quae, in unum collecta atque inspecta, rationem illam constituunt quae vulgo *idealismus* appellatur. Carmina enim, apud Italos praesertim, vilescere sentiebat; contra florere atque omnium manibus teri fabulosam heroicorum facinorum narrationem, quae italice dicitur *romanzo*. Quamobrem libenti animo opus aggressus, fabulam scripsit, quae italicico idiomate nuncupatur *Malombra*. Multi existimantes nodum vulgarem, ipsam narrationem nimis implicitam, nimirum refertam digressionibus, eam iudicarunt non carere vitiis: dicendi tamen ratio insignibus exornatur venustatibus, quibus vehementes animi motus in lectors excitentur, iisdemque fides in aevum futurum melioresque inducantur mores.

Sed exquisitissimum id genus opus Antonii Fogazzaro est *Daniel Cortis*, quo auctor impium sistema a materia nuncupatum vehementissime oppugnat, quo statuit res, quibus circumdamur, ineluctabili ac fatali quadam necessitate in animum humanum

Diem, matutinis horis serena ac tranquilla luce nitentem, obruere tenebrae sub meridiem adductae, vacuo coeli spatio urbi tantum relicto.

Iamque ad collem, qui dicitur Golgotha, fit populi concursus, festinantium occupare sedes ad viendum apprime commendas. Qui vel ab orto sole convenere, a prospectu urbis late patenti non dimicent oculos, ne forte eos pompa inde processuræ fugiant initia.

Prior prospecta est, media inter Cinnam et centurionem quendam, Antheae lectica, septa procuratoris militibus, quibus luctandum in turba erat ut sternerent viam, ac, si res postularet, contra invideam plebis iniuriam tutandi peregrini. Ceterum Anthea, quamvis meridianum tempus adesset, quo solebat exterreri visus, securior admodum videbatur atque tranquillior. In eorum enim cogitatione defixa, quae de Nazareno homine a procuratore accepérat, a cura molestiaque animum avocabat. Inter quae abditum aliiquid a suaque mente longe remotum frustra conabatur assequi intellectu atque tenere. Nam qui tranquille mortem oppetiissent noverat quidem multos; sed eos intellegebat aut iactanter fato occurrisse, aut necessitatí cessisse sapienter; nondum tamen extitisse quemquam, cui exploratum omnino esset, utrum cum vita omnia extinguenter, an mors verae semperiternaque vitae esset initium. Unus id se certo nosse profitebatur publice, mox cruci adfigendus.

(Ad proximum numerum).

P. ANGELINI.

influere. I  
magna vi  
quae contri  
sancta con  
admiration  
infelici que  
nupserit, a  
ciatur ac d

Varias i  
titulus *Fida*  
his si vita  
derantur, q  
quam defue

Fabulosi  
quae inscrib  
gazzaro mi  
runt: tam  
his paginis  
gnam sui co  
bus scriptis  
sequitur, qu  
animi sensib  
tur. Atque l  
qui iure men  
tollit, quum  
triae ex ipsa  
italicis nume

Quod mo  
Cortis sincer  
firmat delicat  
puella, nunc

TE

5

Sac

Ibi

VEN

iae, lectorum  
ventur. Virtu-  
non omnibus  
tor obscurior  
aliquantulum  
suaves animi  
ar imitandum  
qua veluti ex  
mnes sublimia  
ut ita dicam,  
rmina, quibus  
ri arte confe-  
od Iacobo Za-  
verbū, quod  
Foscolianam  
terat poesim  
turpium con-  
bra ducendos,  
ationem illam  
atur. Carmina  
re sentiebat;  
eri fabulosam  
uae italicice di-  
mo opus ag-  
diomate num-  
nodum vulga-  
am, nimiisque  
nt non carere  
exornatur ve-  
motus in le-  
vum futurum

Varias insuper fabulas in unum collectas, quibus  
titulus *Fidelis*, auctor *Miranda* in lucem edidit: in  
his si vitia occurrant, virtutes profecto minime desiderantur, quum noster rectae agendi rationi num-  
quam defuerit, quam sibi in litteris proposuit.

Fabulosis narrationibus nuper enumeratis accedit  
quae inscribitur *Arcanum poetae*, quam Antonii Fogazzaro minus perfectum opus plerique existimau-  
runt: tamen nobili delicatissimoque animo foemina  
his paginis nitet; quae in lectorum animos perma-  
gnam sui conicit admirationem. Ceterum in omni-  
bus scriptis noster exquisitissimo cultu mulieres pro-  
sequitur, quae insignibus virtutibus atque egregiis  
animi sensibus praeditae semper lectoribus exhibeantur. Atque laude dignum existimamus scriptorem,  
qui iure meritoque foeminae dignitatem ad sublimia tollit, quum et civili hominum communitat et patriae ex ipsa non pauca profectura sint bona, ut  
italicis numeris cecinit immortalis Leopardi:

*Donne, da voi non poco  
La patria aspetta.*

Quod modo diximus, nempe auctorem *Danielis*  
*Cortis* sincero cultu prosequi mulieres, abunde con-  
firmat delicatissima narratio ab Eva, nobilissimo animo  
puella, nuncupata. *Ultimum, id est opus, annus uero*

#### PRAESERTIM IN REDDEN PHOTOGRAPHICE EX

#### TEMPERANTIA IN PRETIO - DI

**ROMAE** = Via Sistina, 1:



**I. Romanini**  
ROMAE  
VIA TOR MILLINA

PRAEMIIS DECORATUM

**Sacrarum Supellectilium textili dis**  
sive phrygio opere, sive damasceno, sive  
auro, sive argenteo, sive sericis intertextarum, item siqua

Ibi et Calices, Ostensoria, Pyxides, I  
Thuribula, Acerra  
ex argento, ex cupro, deauratae

**Suppeditor SS. D. N.**

VENALIUM INDEX IMAGINIBUS RERUM DISTI

#### QUAEDAM DE INSTAURANDA SACRORUM DIERUM OBSERVANTIA

Quid in Germania de re decretum,  
quid in Austria, in Belgis, in Dania, in Hispania.

**N**on sine aliquo animi nostri solamine studium  
prosequimur, quo in catholicis regionibus sa-  
cerorum dierum observantia restituenda curatur. Tra-  
didit Deus ipse hominibus praeceptum, exemploque  
suo sacravit arcana illa quiete, quam post hominem  
effictum sumpsit: « requievit die septimo ab universo  
opere quod patraverat ». Itaque benemereri nobis vi-  
dentur de civili progressu ac de omni humanitate qui  
homines per illos dies a laboribus sevocant, ut dum  
corpora reficiunt, coniuncta quiete cum religione, ad  
cogitanda coelestia bona tribuendumque cultum Deo  
debitum revocent.

Quaedam in hoc argumentum referre libet nuper  
in Europa constituta.

¶

In Germania kalendis aprilis anno MDCCXCIV legi  
sancitum est, ne quis operum magister diebus festis  
operatorios ad laborem adigat citra gravem necessi-  
tatem. Vetus ne officinis aut alii negotio addicti  
supra quintam horam die dominica in opere reti-  
neantur. Merces suas assueti per vias vendere domi  
maneant. Tabernae aliaque mercimonii loca per di-  
vini cultus tempus maneant occlusa. Natalis, Paschae  
et Pentecostes diebus cuncti opere omnino vacent.  
Tantummodo alimentariis tabernis facta exceptio.

Lex ab universa Germania probatur; cessatur do-  
minica die a mercimonii. Ipsa litterarum diribitoria  
quartam liberam accensis suis dominicam permis-  
erunt. Hac enim die nonnisi semel litterae et epheme-  
rides distribuuntur. Ostiola patent binas mane horas,  
totidem vespere. Pari modo ceteris administrationibus  
ex aequo provisum.

¶

In Austria anno MDCCXCI lata nova lex de domi-  
nica die observanda, cautum tamen magis corporum  
requieti quam religionis muneribus, cum generatim  
tantum vespere ab operibus fiat cessatio.

¶

In Hungaria lata lex ut die festo quivis ab opere  
abstineat (anno MDCCXCI). Etiam typographorum so-  
cetas anno MDCCXC magnopere contendit, ut diebus  
festis quolibet opus librarium interdiceretur.

¶

Apud Belgas die dominica opus quocunque aut  
vetitum aut valde coercitum. Imo anno MDCCXCII  
tesserae litteris apponenda distribui coepit quibus  
inscriptum: « Ne mittas die dominica ». Eodem anno  
facta consociatio de quiete dominicali tuenda, cuius  
impulsu habitus anno MDCCXCIV cum aliarum na-  
tionum selectis viris conventus vicit omnium expec-  
tationem.

¶

In Dania latae leges etiam severiores quae praes-  
ertim operaris valde profuerunt.

¶

In Hispania tentatum potius quam actum. Atta-  
men sperandum haec prima initia profutura, si no-  
bile Granatae proditum exemplum, ubi matronae of-  
ficiinas claudi obtinuerunt, aliae imitentur civitates,  
quod profecto in Italia quoque mox fore speramus.

LAElius.

#### DE LAOCOONTIS STATUA

**I**n ea Exquiliarum parte, quae Oppius dicitur, impe-  
rator Titus magnificentissimas thermas excitavit, quas  
ut ornamento maximo decoraret, delatum Rhodo mirae  
simulacrum artis inibi, ut nonnulli ferunt, posuerat, idest  
Laocoontem, una cum natis eius multiplici anguum nexu  
constrictum implicatumque.

Id etiam Plinius meminit, scribens: « Sicut in Lao-  
coonte, qui est in Titi imperatoris domo, opus omnibus et  
picturae et statuariae artis praefundum » (lib. XXXVI,  
c. v). Vulgatissima omnibus est Laocoontis, Neptuni sa-  
cerdotis, historia ex libro *Aeneidam* secundo.

Verum perpauci fortasse norunt quae ad simulacrum  
hoc feliciter inventum referuntur. Nequit vero dici qua-  
nam de causa tot tantisque Urbis direptionibus illud su-  
perfuerit.

Cum igitur Iulius II pontificatus sui annum tertium  
ageret, vinitor quidam, cui nomen Felix De Fredi, forte  
Laocoontis statuam, terram fodiens, invenit, ad quam  
visendam, statim ut rumor pervagavit, Pontifex ipse, nec  
non vir in artibus princeps Bonarrotius ac Iulianus de  
Sangallo, et ipse excellens artifex, properarunt.

Neque aut temporum iniuria aut annorum spatio  
percelebris statua senuerat, si ita loqui fas est, uno tan-  
tum vel altero corporis brachio exciso.

Qua in imagine crudele sacerdotis filiorumque exi-  
tium, acri dolore acerboque laniatu morientium intuendo,  
et horret animus et pietate moveatur, cum dolor ipse mo-  
riente saxo insculptus videatur, ac poene audiantur ge-  
mitus eorum, qui summis instant conatus ut sese ab  
anguis sinuoso complexu divellant.

Opus prope divinum quotquot Romae excellentes  
egregiique viri tunc temporis erant laeti admirati sunt  
animo; tanta enim fama ab antiquis iam temporibus  
fruebatur, ut hominum voces ad artifices Rhodios col-  
laudandos propemodum impares existimarentur. Simula-  
crum omnium praestantissimum admirandumque « de  
consili sententia », iuxta Plinium, seu de consilio Rhodi-  
aci decreto, affabre fecerunt Agesander pater, filii  
que Athenodorus et Polidorus, suorum temporum artifices  
facile primi, quorum nomen omnium sermone iure me-  
ritoque antiquitus celebratur.

Igitur ex humi tenebris erutum signum, ac, aliquot  
elapsis annis, sub Leone X plastro impositum coronis  
ac floribus exornato, per vias ac foras clivumque Capito-  
linum circumlatum est, tota plaudente Urbe civibusque  
in gaudium effusus.

Evidem haud dubito hanc ad aedes Vaticanas Lao-  
coontis translationem priscae artis triumphum appellare.  
Etenim, praeterquam undique plausus, undique frequens  
populus atque e turribus festivis sonus, referunt viros  
in arte praestantissimos circa plastrum laetitia gestuisse,  
nec non clarum illius temporis poetarum chorum in  
laudem tanti operis sua carmina concinuisse.

Vir autem omni litterarum scientia eruditissimus,  
Iacobus Sadoletus, nobile editit *Carmen de Laocoontis*  
statua, cuius elegantiori forma id aquare visus est quod  
immortales artifices caelo creaverant.

Carminis vel saltem exordium mihi liceat referre:

*Ecce alto e terrae cumulo ingentisque ruinae  
Visceribus iterum reducem longinqua reduxit  
Laocoonta dies, aulis regalibus olim  
Qui stetit, atque tuos ornabat, Tite, penates.  
Divinae simulacrum artis, nec docta vetustas  
Nobilius spectabat opus, nunc alta revisit  
Exemptum tenebris reditivae moenia Romae.*

Cum vero tantus honos Laocoontis signo habitus sit,  
ex eo illud praecipuum deprehendimus, quanti scilicet  
maiores nostri, ea aetate, bonarum artium fecerint in-  
crements, quantoque Romani Pontifices studio proseguiri  
sint artes; cum non solum Iulius II musaeo Vaticano  
per insigne statuam comparaverit (qui et Apollinis si-  
gnum celeberrimum ibi posuerat); verum etiam alii  
Pontifices religioni ac bonis artibus provehendis sedulam  
operam impenderint.

I. CASCIOLEI.

## ANNALES

De rebus Imperii Coelestis. - De vexillo hispanicico Avanae submisso. - De possibili discordia inter Britanniam et Hispaniam. - De regali delictorum in Italia indulgentia. - De lyceo-gymnasio ad Tusculum. - De rebus africanis.

**E**x recentioribus nuntiis per ignem fluidum, graece ηλεκτρον, transmissis accepimus Sinarum in imperio seditionem ortam esse iam multo ante praevisam.

Quid de imperatore adhuc iuvene iam sit non adfirmari, sed colligi licet. Dethève medicus, qui eum legatorum gratia exterarum gentium visit, haec ait: imbecillitatem esse maximam, gracilitatem albumque colorem nimia, digitos in ambabus manibus pene mortuos, laborare ex cerebro, surditate, oculis, difficiles concoctiones cum vomitionibus coniunctas, cetera morbi sanguinem corruptentis quem nephritis dem dicimus indicia: periculum non proximum.

Ephemeris *Dépêche Coloniale* aliquot Anglorum, Sarmatarum, ceterarumque gentium copias ad Pechinum urbem missas parum aut nihil profuisse dicit: in sinum maritimum Petchili ad Pechinum omnium nationum coactas esse classes. Interdum rumor nunc de Sarmatarum exercitus expeditione in Pechinum, nunc de Anglorum classe in portum Peicho. Milites qui iam diu stipendum non acceperant urbi Sinarum principi minati sunt, a qua tamen non discessissent nisi satis factum esset. Interim in provinciis Kouang-Toung, Kouang-Si, Kou-Nan crescit in dies animorum perturbatio civiumque tumultus, maxime vero in ingenti diviteque provincia Sé-Tchouen a perditis hominibus vexata atque depopulata, qui implacabili odio christianos peregrinosque omnes persecuntur.

Multa et perspicua sunt, ait ephemeris *Dépêche Coloniale*, signa, quibus animo provideri potest proximam esse Coelestis Imperii ruinam.

\*

Avanae in urbe opulentissima insularum, quibus nomen Antillae maiores, iv nonas Ian. huius anni, hispanicum vexillum est submissum, foederatarum autem Americae civitatum in tormentis bellicis salutandi causa emissis propositum: quo facto Castellanos hispanici exercitus dux imperium tradidit Wade hostium duci, qui maxima se spe teneri declaravit futurum esse ut, donec demigraturi essent ex insula Hispani, inter utramque nationem amicitia foret.

\*

Suspicio increpat pergravis discordiae inter Britanniam et Hispaniam.

Anglia videtur cupida Baleariis insulis potiundi: at minime aperte agit. Calpes angustias (*Gibilterra*) munitionibus quam maximis ornat: interea tamen, per legatum ad Hispaniam monet rerum civilium moderatores huius nationis ut properent munire, omnibus posthabitis, insulas easdem quae sustinere valeant vim imperii cuiusque studentis sibi adiicere archipelagus illud, in tot tantisque adversis quibus Hispania, istis extremis temporibus, fuit afflita.

Sunt qui haec verba ficta putent et existiment Angliam curare navalem apparatus ad Baleares insulas ut perfacile ei sit milites pro lubito expondere.

Si ita res se habeat, quis neget Angliam ad Baleares nisi omni ope?

\*

Regalis delictorum indulgentia, quae in Italia vere iam exacto perpetrata sunt, omnium civium animos maxima afficit laetitia: multa enim declarat

quae in illis seditionibus tribuenda sunt tum factiosi principibus, qui indoctorum animos excitare studebant, tum plebi, quae divitum commoda, flagitorum impunitatem, publici boni negligentiam ferre iam non potest. In eam omnes inducuntur opinionem, ut mox rerum ante actarum sequatur oblivio.

★

Ad Tusculum prope Romanum exstat lyceum-gymnasium, nuncupatum *Mondragone*, ibique a Patribus Societatis Iesu iuvenes praecipue claro genere orti religione bonisque artibus imbuuntur. Qui praeest a studiorum supremo italicico moderatore rogavit, ut scholae illae aequae ac gymnasia regia haberentur in periculis ab auditoribus faciundis. Die 8<sup>a</sup> mensis decembris anni superioris, idem studiorum moderator Guido Baccelli, ut voti compos praeus fieret decretum prodidit. Quod visum est legi obstare. Quapropter qui male ferebant non solum quae in petitione continebantur, verum etiam nomina clarissimorum virorum, qui subscripterant, rumores excitare coeperunt.

Omnes illi qui huic petitioni faverunt ad contionem italicam (*Parlamento*) pertinebant, quorum nomina centum et octo numero definita sunt.

Scriptores ephemeridum quarundam asperrimis verbis aggressi sunt tum studiorum moderatorem, tum Patres S. I., tum rogationis eiusdem subscriptores, obloquentes insuper de ratione qua catholica iuventus ubique ad religionem et bonas artes *privatum*, ut aiunt, instituitur. Qua de re decretum iam editum, revocatum fuit.

★

Nuntii ex Africa referunt praefectos (*Ras*) Manganese et (*Ras*) Maconnen venturos mox ad arma. Menelik imperator (*Negus*) interea castra movit ad tutanda sua iura contra eum, qui mense novembri elapsi anni ab imperio defecrat.

Erythraea colonia videtur ex nuntiis novissime acceptis discordia illorum principum minime turbari posse, nisi Menelikio occasio arrideat incommoda aferendi Italorum coloniae. Quam ob rem constat eos, qui rebus italicis praeficiuntur, iam nunc providere rebus quae in Africa evenire possint.

EGNATIUS.

## ACTA SANCTAE SEDIS

Electio Episcoporum. - Litterae ad Episcopos ex America Latina. - Ad Archiepiscopum Mediolanensem. - Constitutio pro sodalitate a Rosario Mariali.

**R**ECENS electi Episcopi *per Breve*: Marcolinus Benavente, S. Ioannis De Cuyo; Alexander Mac Govick titularis Monopolitanus, in auxilium Ep. Chiganiensi; Ioannes Baptista Simon titularis Circensis, designatus Vicarius Apostolicus Nan-Kinen; Iosephus Morabito translatus e sede Diocensi ad Miletensem.

\*

Die ipsa natali D. N. litterae pontificiae ad Episcopos ex America latina datae de convocandis iisdem Romam in concilium.

Silicet Pontificem quod iamdiu in optatis habuerit, perficiendum censere. Conlatis enim consiliis episcoporum se sperare apte per eos provisum iri ut apud eas gentes quas idem aut certe cognatum genus coniunctas teneat, unitas ecclesiasticae disciplinae salva consistat, vigescant digni catholica professione mores, atque concordibus honorum studiis Ecclesia publice floreat. Quum autem facta eis optione loci quo conveniendum esset, plerique Ro-

mam anteposuissent cuique americanae urbi, quod expeditior huc pateret aditus, Pontificem, quamquam pro sua conditione nequeat eos liberaliter excipere quantum velit, Romam proxime eos convocaturum.

ψ

In festis nataliciis respondit Pontifex Maximus ad Cardinalem Archiepiscopum Mediolanensem litteris benevolentia plenis, simul gratulatus in fide et amore a fidelibus ei recens exhibitis.

ψ

Sexto nonas octobris anni proxime elapsi, edita Constitutio de legibus, iuribus ac privilegiis sodalitatis a Sanctissimo Rosario, cuius haec praincipia:

Sodalitates instituantur in posterum auctoritate Magistri generalis ordinis Praedicatorum; quae antea tempore secus instituta fuerint, intra annum ab eodem Ministro confirmationem recipient; sodalitas in ecclesiis publicisque aediculis sedem habeat, ibique maneat ubi instituta fuerit; si qua decreta seu statuta sodalitati cuique addantur, probentur Episcopo eique maneant subiecta; moderatores singuli a Magistro generali eligantur; formula consecrandi Rosarii retineatur quae in ordine Praedicatorum praescripta est et in appendice *Ritualis Romani* inserta; sodales iuberi, non tamen lege morali, singulis hebdomadibus totum Rosarium rite recitare; Rosario seu coronae genuina forma servetur; sacerdotibus in societatem adlectis liceat bis in hebdomada, ad altare sodalitatis, celebrare missam votivam de Beata Virgine, ad normam tamen decretorum S. Rituum Congregationis.

THOMAS.

Sea ergo sacerdotum gemitus, zaro est Daniel Cortis, quo auctor impium sistema a materia nuncupatum vehementissime oppugnat, quo statutur res, quibus circumdamur, ineluctabilis ac fatali quadam necessitate in animum humanum

Diem, matutinis horis serena ac tranquilla luce nitentem, obruere tenebrae sub meridiem adductae, vacuo coeli spatio urbi tantum relicto.

Iamque ad collem, qui dicitur Golgotha, fit populi concursus, festinantium occupare sedes ad viendum apprime commodas. Qui vel ab orto sole convenere, a prospectu urbis late patenti non dimovent oculos, ne forte eos pompaie inde processurae fugiant initia.

Prior conspecta est, media inter Cinnam et centurionem quandam, Antheae lectica, septa procuratoris militibus, quibus luctandum in turba erat ut sternerent viam, ac, si res postularet, contra invadie plebis iniuriam tutandi peregrini. Ceterum Anthea, quamvis meridianum tempus adesset, quo solebat exterreri visus, securior admodum videbatur atque tranquillior. In eorum enim cogitatione defixa, quae de Nazareno homine a procuratore acceperat, a cura molestiaque animum avocabat. Inter quae abditum aliquid a sua mente longe remotum frustra conabatur assequi intellectu atque tenere. Nam qui tranquille mortem oppetiissent noverat quidem multos; sed eos intellegebant aut iactanter fato occurrisse, aut necessitatibus cessisse sapienter; nondum tamen existisse quemquam, cui exploratum omnino esset, utrum cum vita omnia extinguerentur, an mors verae semipiterneque vitae esset initium. Unus id se certo nosse profitebatur publice, mox cruci adfigendus.

(Ad proximum numerum).

P. ANGELINI.

RERUM ELENCHUS PRIMI NUMERI HUIUS ANNI

|  |                     |
|--|---------------------|
| Litterarium certamen et praemia constituta victoribus . . . . .  | v. u.               |
| Annus M DCCC XCIII . . . . .   | A. Z.               |
| In mortem Felicis Cavallotti et Elisabeth imperatricis latinae elegiae . . . . .   | F. RAMORINO.        |
| De Adamo Mickiewicz . . . . .  | H. LAMBIASI.        |
| De rebus Italiam inter et Galliam commercio permutandis . . . . .  | MARIUS.             |
| Horae subsicivae. — Reginae Margaritae Sabaudiae <i>Ad Virginem Dei Matrem</i><br><i>precatio</i> latinis versibus expressit . . . . . | I. B. GANDINUS.     |
| <i>In Puerum Iesum.</i> . . . . .  | P. ANGELINI.        |
| De Laurentii Perosi opere, cui titulus <i>Resurrectio Christi</i> . . . . .  | C. DE ANGELIS.      |
| Paulina Teklhionwake poetria et mulieres iroquenses Americae septentrionalis   | D. TAMILIA.         |
| Effossiones novae in area Romani Fori prope templum Caesaris . . . . .   | H. MARUCCHI.        |
| Ex Anglia. — De disciplina scholastica apud Britannos . . . . .  | H. A. STRONG.       |
| De fine orbis terrarum ac de exitu humani generis . . . . .  | H. D. V. PIERALICE. |
| Frustula . . . . .   | FORFEX.             |
| Annales . . . . .  | EGNATIUS.           |
| Acta Sanctae Sedis . . . . .   | THOMAS.             |
| Logographus . . . . .  | X.                  |

Clapponi Franciscus et Soc.

OFFICINA  
ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS  
PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

TEMPERANTIA IN PRETIO - DILIGENTIA IN OPERE

ROMAE - Via Sistina, 129 - ROMAE

I. Romanini et Soci

ROMAE  
VIA TOR MILLINA, N. 26-28

PRAEMII DECORATUM OPIFICIUM

Sacrarum Supellectilium textili disciplina fabrefactarum  
sive phrygio opere, sive damasceno, sive acu discriminatarum,  
sive auro, sive argento,  
sive sericis intertextarum, item siqua sint ad Eccl. usum

Ibi et Calices, Ostensoria, Pyxides, Lampades, Reliquaria,  
Thuribula, Acerrae,  
ex argento, ex cupro, deauratae, deargentatae.

¶ Suppeditor SS. D. N. Papae ¶

VENALIUM INDEX IMAGINIBUS RERUM DISTINCTUS GRATIS DABITUR

BURNS & OATES

LONDON W. - 28, Orchard Street, 28 - LONDON W.

Qui opera cardinalium ediderunt Vaughan, Manning, Wiseman, Waltherne archiepiscopi, Hedley episcopi, Faber, nec non Patrum Societatis Iesu et Sancti Philippi Neri; qui itemque edunt

*The Catholic Directory*

ecclesiasticae in Anglia hierarchiae nuncium,

*The Dublin Review*, etc.

nulla impensa, in omnes orbis terrarum regiones libentissime  
mittent Indicem ab ipsis novissime in quattuor partes 84 paginarum dispositum, libros catholicos omne genus complectentem, legentibus utilissimum.

EQUES PHILIPPUS VITI

MARMORARIUS

ROMAE — Via Alessandrina, N. 51 e 52 — ROMAE

AFFABRE SCULPIT QUAE SUNT  
AD SIMULACRA, ALTARIA, SACELLA  
AEDICULAS

Uti patet ex operibus erectis ac refectis  
in Basilica Lateranensi,  
Liberiana, Laurentiana extra muros, Transtiberina,  
Eudoxiana, etc.

# DESCLÉE, LEFEBVRE & S.

SANCTAE SEDIS APOSTOLICAE ET S. RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI

PARIGI - LIONE - LILLA - TOURNAI - BRUSSELLE - BRUGES - GAND - MALINES - ANVERSA - TOLOSA

## LIBRERIA CATTOLICA INTERNAZIONALE

ROMAE — Via Santa Chiara, 20-21 — ROMAE

### Editiones Liturgicae

quae Typis Societatis Desclée, Lefebvre & Soc. in lucem prodeunt, revisae atque approbatae sunt a S. Rituum Congregatione.

#### Missalia.

Missale Romanum, in-fol. ( $40 \times 27 \frac{1}{2}$ ). Solutum: Lib. 40; religatum marocchino rosso, foliis flavi coloris: Lib. 55; inauratis: Lib. 60.

Missale Romanum, in-fol. parvo ( $34 \frac{1}{2} \times 23 \frac{1}{2}$ ). Solutum: Lib. 30; religatum ut supra: Lib. 42 vel 47.

Missale Romanum, in-4 ( $30 \frac{1}{2} \times 21 \frac{1}{2}$ ). Solutum: Lib. 20; religatum ut supra: Lib. 30 vel 34.

Missale Romanum, in-8 ( $24 \frac{1}{2} \times 15 \frac{1}{2}$ ). Solutum: Lib. 10; religatum ut supra: Lib. 16.50 vel 18.50.

Missale Romanum, in-18 ( $14 \frac{1}{2} \times 8 \frac{1}{2}$ ). Solutum: Lib. 6; *bazar* religatum, foliis rubri coloris: Lib. 8; *zigrino*, foliis inauratis: Lib. 10.50.

Missale parvum, in-32 ( $12 \frac{1}{2} \times 7 \frac{1}{2}$ ), IUXTA MISSALE ROMANUM, IN QUO CONTINENTUR OFFICIA TOTIUS ANNI, TAM DE TEMPORE, QUAM DE SANCTIS, ACCEDUNT NONNULLA IN APPENDICE PRO VESPERIS ET LAUDIBUS VESPERTINIS DISPOSITA. Solutum: Lib. 2.50; *tela* religatum, foliis rubri coloris: Lib. 3.50; *zigrino*, foliis inauratis: Lib. 5.

Missae pro Defunctis, in-fol. ( $40 \times 27 \frac{1}{2}$ ). Solutum: Lib. 3.50; *tela* religatum: Lib. 7.

Missae pro Defunctis, in-fol. parvo ( $34 \frac{1}{2} \times 23 \frac{1}{2}$ ). Solutum: Lib. 2.75; *tela* religatum: Lib. 6.

Epistolae et Evangelia, in-fol. magno ( $40 \times 27 \frac{1}{2}$ ). Solutum: Lib. 15; *ligature ad libitum*.

Canon Missae ad usum Episcoporum ac Praelatorum solemniter vel private celebrantium, in-folio magno ( $43 \times 29 \frac{1}{2}$ ). Solutum: Lib. 25; *ligature ad libitum*.

Missae Solemniorum festorum e Missali Romano excerptae ad usum Episcoporum ac Praelatorum solemniter celebrantium, in-fol. magno ( $40 \times 27 \frac{1}{2}$ ). Solutum: Lib. 15; *ligature ad libitum*.

Missale Monasticum, in-fol. parvo ( $34 \frac{1}{2} \times 23 \frac{1}{2}$ ). Solutum: Lib. 30.

Missale ad usum FF. Praedicatorum, in-folio parvo ( $34 \frac{1}{2} \times 23 \frac{1}{2}$ ). Solutum: Lib. 40.

#### Breviaria.

Breviarium Romanum, 2 vol. in-4 ( $28 \times 19 \frac{1}{2}$ ). Editio choralis, permagnis characteribus impressa. Solutum: Lib. 48; religatum: Lib. 54; *zigrino*, foliis inauratis: Lib. 64.

N.B. — Omnes quas supra diximus editiones novissimas additiones atque emendationes continent, chartere rubro nigroque impressae, pluribus sacris figuris aliisque ornamentis, necnon cantu ecclesiastico ornatae sunt.

Plura etiam adsunt SUPPLEMENTA pro diversis locis vel Congregationibus religiosis.

Catalogus omnium nostrarum editionum liturgicarum cum speciminiibus et pretio ad rogantem mittetur. Venales autem prostant omnes nostrae publicationes in sequentibus sedibus, ubique sub ipsomet nostro nomine: ROMA, via S. Chiara, 20-21 — PARIS, rue St-Sulpice, 30 — LILLE, rue de Metz, 41 — LYON, rue Victor Hugo, 5 — BRUXELLES, rue de la Montagne, 52 — GAND, rue aux Vaches, 16 — ANVERS, Kipdorp, 22 — TOURNAI, Avenue de Maire

ET APUD OMNES BIBLIOPOLAS.

¶ OMNIUM CATHOLICARUM EPHEMERIDUM SUBNOTATIO PER NOS FIERI POTEST ¶